EPISTOLÆ FAMILIARES;

Sub tempus Interregni.

Anno Domini 1733.

SCRIPTUM ANONYMUM.

SErenissimo quondam Poloniæ Rege defuncto, Sacram Cæsaream Regiamq; Catholicam Majestatem, tum ob Regnorum suorum ac Provinciarum Hæreditariarum cum Poloniæ Regno viciniam, tum ob commune Christiani bonum Orbis, rite legitimeq; peragendæ novi Regis Electioni curas suas impendere par est.

Equidem latere neminem arbitratur, jam per integra duo sæcula inter Augustissimam Domum Austriacam, tum Regna ac Provincias suas Hæreditarias ex una, ac Serenissimos Poloniæ Reges & Rempublicam ex altera parte, arctæ unionis ac amicitiæ vinculum intercedere, solennibus Pactis Conventis innixum. Quæ Pacta conventa Anno 1677. *sub Imperatore Leopoldo gloriosæ memoriæ, & Serenissimo IOANNE III. Poloniæ tunc Rege, compluribus capitibus aucta, ac tertia Novembris* 1732. *inter Legatum Cæsareum Comitem à Wilczek, tum Reipublicæ Commissarios in Grodnensibus Comitiis Anno* 1726. *celebratis ad id denominatos, ac plena facultate instructos, denuo corroborata fuerunt.*

Sicuti proinde Augustissimi Antecessores nunquam non periclitantis Reipublicæ ac Polonæ Libertatis scutum extitêre, ita Augustissimus Regnans Imperator, exemplo quoq; Antecessorum suorum, tutamini ejusq; nunquam deerit Curæ, præsertim supradictis Pactis Conventis specialiter ad id obstrictus.

Tam longe itaquè ab eo alienum est liberæ Electionis Iuri Reipublicæ competenti quidquam detrahere, ut potiùs hoc ipsum liberæ Electionis Ius, contra quoscunq; adversariorum conatus viribus sibi à DEO concessis propugnare sit paratus, cum-

quē in finem aliquot peditum Equitumq; legiones in Silesiæ confinys collocare jusserit.

TImendū verò est ne vel Galliarū, vel veteres STANISLAI *assèclæ, sub inani prætensæ Electionis ante aliquot jam annos peractæ prætextu, novæ Electionis ritum interturbare tentent,* NVLLA HABITA PATRIÆ CVRA, *utpotè cujus leges palam hac ratione infringerentur, & quæ proinde tum domesticis Insidŷs, tū externorum armis in extremum adduceretur discrimen.* NEQVE *enim Augustissimus Imperator, vel reliqui vicini Principes Serenissima imprimis Russiæ Authoratrix,* VNQVAM PERMISSVRI SVNT, VT *vel sub ante dicto prætextu, vel sub alio quocunq; colore Patriæ suæ necdum reconciliatus* STANISLAVS LESZCZYNSKI Poloniæ Thronum conscendat.

Nullum irritumq; esse prætensæ Electionis actum vi, armisque Anno 1704. a defuncto Sveciæ Rege extortum fusius demonstrare haud opus est, cum à Sede Pontificia Severe in eos ex Ecclesiastico Ordine (Posnaniensem imprimis Episcopum) fuerit animadversum, qui prætensæ huic Electioni Fautores sese, aut assèclas præbuerunt, nihil etiam actum est, quo toti orbi non constaret displicere conatus eorum, qui a debiti obsequŷ via deflexerunt.

Sunt autem complura alia eademq; summi momenti motiva, uti proscriptio STANISLAI *facta per integram Rempublicam sub Guarantia Russiæ per solennes Tractatus nota, pro conservanda pace Europæ, quæ amplius non subsisteret, si Reginæ Galliæ Parens regnaret.*

Contradictiones Magnorum Virorum in Republica, qui huic contradicent Electioni, exinde in summum detrimentum Reipublicæ timenda scissio.

Quæ non suadent modo sed efflagitant, ut omnes illi quibus Christiani Orbis quies & salus curæ cordiq; est, consilia juxta ac operam jungant, quo STANISLAVS *spe, quam denuo concepisse videtur, cadat.*

Com-

Compescendis Turcarum moliminibus multum interesse, qualis REX POLONÆ Reipublicæ præsit, aliquot sæculorum monumenta loquuntur, ac insigni maximè documento est fædus Sacrū sub auspicijs Sedis Pontificiæ, hunc ipsum in finem initum.

Quid verò à STANISLAO apud Turcas olim Profugo & asylum ibidem quærente Christianus Orbis polliceri sibi queat, res ipsa loquitur.

Nec hoc quidem satis est, etenim certo constat ab IIS cum quibus compluribus vinculis arctè & quam maximè STANISLAVS ligatus est, sæpiùs & instantissime sollicitatos Turcas fuisse, ut inita cum Persis pace, contra Romanorum Imperatorem aut Russiæ Authoratorem vertant arma, ac necdum aliquot effluxerunt septimanæ, quod denuo ab Eo, qui Regis & Reipublicæ negotia Constantinopoli procurabat Ministro, nec à Rege, nec à Republica necessarijs ad hoc ex Regni Cancellaria mandatis instructo (Instinctu hujus Malevoli) publicas, sed falsissimas ad Portam delatas esse querelas, ac si Russi contra Tractatum ad flumen Pruth conclusum Copias suas Poloniæ Regno immiserint. Iam verò cum fidum STANISLAI Asseclam hujus partes adhuc propugnantem Antesignanum agere, compluresq́ hujus sortis, si ad Regiam Dignitatem STANISLAVS eveheretur maximis Officijs præfigendos fore, dubio omni caret. Vnde facile colligere est quænam mala universo Christiano Orbi imminerent, si qui præcipua in Republica Authoritate pollerent, non jam amplius Christianorum, sed Turcarum faverent causæ. Reliqua Augustissimi Imperatoris cura circa Electionis negotium nonnisi in eo se extendit, quo liberis Polonæ Nationis suffragijs Rex quiscunque ille demum sit eligatur, à quo nec Reipublicæ Constitutioni, ac Libertati, periculum, nec vicinis excitandarum turbarum metus immineat.

EPISTOLA Ima

SERENUS MARCELLO ſuo S.

§ I.

Scripti ſuperioris ignotus Author.

PRodijt hic nuperrimè Scriptum quoddam, (cujus Tibi exemplar mitto) benevolis in ſpeciem, at reipſa mera Imperia minaſq; & excidia ſpirantibus confectum verbis. Falſo illud ferunt in officina alterutrius Legati aut Cæſarei, aut Moſcovitici elucubratum fuiſſe; cum enim uterq; Viri ſint omnino inſignes ſapienteſq;, & cum utriuſq; homines principio à nobis velut de libello incognito, quid eo contineatur, quæſierint, cum deniq; ipſimet aſſerant ſcriptionem hanc aliunde ad eorum manus perveniſſe, evidens omnino eſt, ne ad Librarios quidem eorum ſimile quidpiam pertinere. Legatus quoq; Cæſareus Interregem noſtrum Primoreſq; Reipublicæ hic præſentes etiam atq; etiam certiores reddit, Cæſarem ter Auguſtum optimè noſtræ libertati vovere; nihilq; aliud deſiderare, quam ut unanimi conſenſu Regem ſibi Polonij eligant, nec concorditer electo Regi quicunq; ſit ille ullatenus obſtiturum. Quæ ſententia Nomine Imperatorio iterum iterumq; prolata, cum prorſus ut liquet contraria ſit imperioſæ adeo hujus ſcripti rationi, non eſt dubium illud nec cum Principis tanti optima in Rempublicam voluntate convenire, nec proinde opus eſſe magna prudentia præditorum, & in rebus longe verſatiſſimorum aut Miniſtri Cæſarei, aut Miniſtri Ruſſiæ, qui ex parte ſuæ Auguſtæ (magna perinde erga Rempublicam benevolentia præditæ) ijſdem fere verbis quibus Legatus Germanicus, de Ejus erga Rempublicam amicitia, noſtros ſummos Magiſtratus commonere ſolet.

Quando

Quandoquidem autem multorum animos hoc insolitum scriptionis genus perturbare posset, vehementer te oro, cum eo fis in Republica loco Te ut plurimi invisere soleant & concurrant ad lucem Consilij tui, scriptum ut hoc neminem legere sinas, quin Tuam ad singula quæ complectitur animadversionem bene prius digestam adijcias, quam Tibi prudentia Tua, amorq; Patriæ facile suggeret. Non est enim res hæc vilipendenda, quemcunq; etenim talia (ut Satyricus inquit) scribendi Cacoetes incesserit, is eo magis Reipublicæ nocumento esse poterit, quo certius est, reperiri inter nos Homines extraneos, & fortasse etiam aliquem è nostratibus, qui hæc ipsa quæ in hanc scripturam congesta sunt, claris quoq; palam affirment verbis. Quibus ego quæ respondere soleo, quæq; à Maximis in Republica viris persæpè audio, ea Tibi nec lectu injucunda, nec fore inutilia arbitror. Præsertim cum similia animi tui sensa & mihi communicare, & mea à me vicissim requirere plerumq; consveveris.

Quam illud noxium Reipublicæ.

§ II.

Mihi itaq; in hoc scripto duo cumprimis consideranda separatim veniunt: *primum est*, ingens Vicinorum nostrorum cura circa Electionem nostram; *alterum* autem, ea omnia quæ hic contra inclytũ Serenifs. Parentem Reginæ Galliæ hæc non bene castigata depromit scriptio. Velim autem intelligas totam hanc controversiam minimè pertinere ad Potentissimas Germanorum aut Russorum Nationes, cum in his Reipublicæ temporibus propensa eorum erga nostram libertatem studia extra controversiam sint, sed totum id pertinere ad unum quempiam Scriptuarium, qui mihi sit omnino incognitus; omnia quoq; hæc, quæ ut in sermone fieri solet, affirmo, tunc tantummodo fore verissima, si unquam vera esse constet ea, quæ hic seditiosus libellus continet.

Partitio argumenti.

Primum mihi, quod ijs quæ consequutura sunt magnam lucem afferat, generali quadam ratione dicendum est, quis sit cardo rei? circa quam tota hæc versatur controversia. *Respublica* videlicet *tuetur jus suum Imperio nulli externo obnoxium circa Electionem liberam cujuscunq;, quem velit, Regis.* Sententia autem hujus Scriptuarij est (dum asserit *quod Germani & Moscbi nunquam permissuri sunt* *cum,*

Quis sit cardo rei?

eum, quem nolint, conscendere Thronum Poloniæ) posse scilicet externos Principes, eum qui ipsis non sit bene visus, impedire & excludere Throno Regio, & velit, nolit Respublica, posse eos non permittere, curasq; omnes & vires adhibere suas, ne aliquis contra eorum voluntatem Polonorum Rex eligatur. Hoc est quod dicit ille, homo acutus & ingeniosus, usus quodam male coactorum verborum circuitu. Grates tamen illi singulares à nobis debentur, quod cum tam subtiliter acutèq; nobis loquitur, non nos omnino hebetes obtusosq; , quin sensa divini hominis intelligamus, existimet. In his autem rerum circumstantijs eam excludendi Competitoris (qui à nobis potest omnino eligi) assignat causam, quod vereatur inter Rempublicam, Cæsarem & Moschos bellum inde certissime oriturum. Hic nostræ est ex una, hic illius est parte ex altera, causæ status. Unde intelligis *Marcelle* mi quanta sit hæc res, ubi agitur de jure nostro longe maximo, & de aliena vi, quæ nobis illud (nam credere me interim fingo mentienti omnia scriptuario) conatur eripere, prætextu conservandæ tranquillitatis publicæ. Intelligis etiam me tantarum rerum copiam paucis nullatenus posse complecti verbis. Et res enim & diversa ingenia claritate egent, semper autem in aliquo deficit, & confusionem parit brevitas.

§ III.

Fundamenta duo totius cõtroversiæ, quæ negari non possunt.

Duo jam cumprimis sunt ad quæ velut ad securissimum locum semper me recepturus sum, & unde omnia in infesti scriptoris caput tela recident: Primum est: Principia quædam e rationibus nostri Status petita, certa omnino, & diligenter explorata, quæq; verissima esse nemo compos bonæ mentis negaverit.

Fundam. 1mũ. Rempublicã supremam sui Iuris Dominã esse &c.

Rempublicam nimirum esse *supremam Iurium suorum Dominam, non dependentem ab ullo Principum externorum Imperio. Rempublicam æque jure Divino suam supremam nulli obnoxiam potestatem & habere & tueri, uti omnia Regna alia & Imperia suam jure Divino & habent & tuentur potestatem. Ei qui non dependet ab altero, imperari non posse. Eum qui nulli subjectus est præterquam DEO,* nul-

nulli præterquam DEO obedire teneri. Injustissimum esse Imperium apertamq; vim, imperare illi, vetare illi, qui super se aliam præterquam Divinam Potestatem non sentiat. Libertatem Reipublicæ esse hanc antiquissimo & à nemine unquam in dubium vocato munitam Iure, quemcunq; ex orbe terrarum velit, quærendi Regem sibi. Conditionem hanc unicam esse ad Electionem Regis legitimè peragendam, Concordiam civium. Reipublicæ Ius esse, & condere, & definire, & suas abrogare Leges; Nefas proinde esse summum, in quocunq; Regno & bene ordinata Republica, ut peregrini homines contemptus Legum publice Cives & Magistratus, ipsamque adeo Rempublicam arguant, ut melius se de Republica sentire jactent, quam proprios illius Cives, in hanc turpissimam impudentiam & audaciam in bene ordinata Republica non tolerandam severissime animadvertendum esse. De Principibus summisq; Magistratibus bene sentire, bene loqui aut saltē non loqui, male quolibet oportere. Qualibet Rempublicā primā Status sui rerumq; suarum, deinde alienarum, rationem habere oportere. Dignitatem & utilitatem Reipublicæ alienis rationibus postponendam non esse. Pessimum esse persvadendi genus quod terreat, idoneum servilibus ingenijs non autem liberis. In libera Republica totum amitti, dum Libertas amissā sit. Boni Civis esse, non se optare Libertati superstitem. Periclitantis sive sua sive aliena vi Libertatis, hoc unicum haberi præsidium, hanc unam salutem, concordiam Civium, Eam esse murum Poloniæ quacunq; vi inexpugnabilem. Nihil funestius esse Reipublicæ, specie amicitiæ obductis extraneorum hominum factionibus. Facilius Cives ad idem sentiendum dum agitur de salute publica reduci posse, si extranei nostris non se rebus immisceant. Vicinos quosvis naturâ non quid nobis, sed quid illis sit utile, quærere, Vicinorum curam, Libertatis nostræ posse esse novercam, matrem esse non posse. Libertatem nostram illis expedire, solo metu vicini potentis. Hoc eos velle, hoc curare, Domi & simus liberi, foris ut ijs

obno

obnoxÿ. Reipublicæ verò id unice & quam maximè interesse, Pacem perpetuam & amicitiam cum vicinis juxta ac remotioribus colere, bello offensivo ut nunquam petÿt, ita nunquam Vicinos petere; & donec sola fati involvat necessitas, esse NEUTRAM.

Hæc & id genus sunt quæ me quasi pro firmissimo fundamento jacere oportebat, ut à quibus deinceps ne latum ungvem recedere velim. Ea prudens negare, esse vera, non potest; insanus si neget, nil refert. Tu MARCELLE mi judicabis, utrum ea quæ deinceps sequentur, recte nec ne à me inferantur.

Fundam. 2dū. Respublica dum Iure suo utitur nullam belli dat causam Vicinis.

Alterum est quo semper constantissime recurram, & quod suis locis evidentissime patebit: Vanissimos esse metus, turpissimamq; imposturam ut Polona Respublica dum suo utetur jure, belli det causam vicinis. (Intelligo autem causam justam, nam injustissimas belli rationes, qui illius incendendi libidine ardet, quam plurimas è quovis prætextu corradere potest.) Securissimus enim sum, nihil omnino esse quod magis exoptet, & procuret sibi ipsa Polona Respublica, quam cum Sacra Cæsarea Regia Catholica Majestate, & cum Serenissima *Authoratrice* Moschoviæ, omnibusq; vicinis, pacem perpetuam colere, & mutuæ amicitiæ semper præstare officia. Clarissimum hujus reī testimonium est, præter antiqua & toties & nuperrime renovata fædera, in his quoq; ultimis ante Convocationem Generalem Provinciarum Terrarumq; Conventibus, universæ Nobilitatis consensus unanimis, quo declaratur esse hostis Patriæ, quicunq; Offensæ alicujus Vicinis nostris occasionem præberet. Quo animo cum æque erga omnes exteras nationes prædita sit Respublica, ex parte illius timeri nullatenus potest ulla tranquillitatis publicæ perturbatio. Nulli profecto dubium est, nos in præsenti rerum statu non de bello, sed de Electione Regis cogitare; providendo autem futuris temporibus, nulla ratione talem nos quæsituros Regem, qui classicum intonet, armis vicinos infestet, bello involvat Poloniam. Perspecta nobis probe est necessitas, arrisit dulcedo pacis, neq; nos illius satietas tenet. Quamobrem nullus nobis vovet melius, quam nos nobis vovemus ipsi.

Unde inutilissimas esse prorsus arbitror nescio cujus Scriptuarij curas, quibus totus æstuare videtur, vehementer sollicitus,

tus,

tus, ne Poloni bello alicui funesto occasionem præbeamus, vehementerq; dubito, quod circa Electionem apud nos rite & legitimè peragendam, circa tranquillitatem Regni nostri conservandam, ingentes quas hæc scriptura ostendit Germanorum, & Moschorum curæ, melius aliquid Reipublicæ nostræ consulant, quam ipsa sibi consulere & debeat & possit, & velit Respublica. Ego autem palam sententiam meam aperire malo; Curam nimirum hanc talem, qualem Scriptum hoc nobis offert dicam an comminatur? esse omnino injustam, esse minimè necessariam, esse quoq; nobis maximè damnosam, & injuriam, esse proinde ut verbo me explicem uno, intolerabilem.

§ IV.

Curam externorũ circa Electionem Regis, Poloni quã scriptor minatur, esse injustissimam.

Curam hanc quam scriptor quicunq; sit ille exaggerat esse prorsus *injustam* affirmo. Namq; uti nostra nihil interest, quisnam eligatur Germanis Imperator, nec in ejus Electionem aut in rationes successionis Moschoviticæ nos unquam Poloni ingessimus, quamvis utraq; hæc præstantissima & longe potentissima Gens nobis sit undequaq; vicina, pari modo quo jure sese Germani aut Moschi ingerere possint in Electionem Regis nostri non video. Respublica enim suprema cum sit jurium suorum Domina, nec ulli nisi DEO soli rationem consiliorum suorum reddere teneatur, cum præsertim in Electione liberrima suorum Regum à nemine unquam dependeat, quid causæ est cur tantopere externa imperia rebus se nostris immisceant? cur tam imperiosa authoritate nobis intiment quid nos velint, quid nos nolint facere? cur libertati nostræ certos præfigunt limites? cur nos operiri & curiose auscultare volunt quid permissuri, quid nobis *non sint permissuri*? Doceant nos quæso unde illis vultum Majestatemq; jubentis, quo jure, quo exemplo præjudicato illi inusitatam hanc, & à memoria hominum apud nos inauditam, suam agendi rationem communiunt? cum sese manifeste declarant, *nunquam permissuros ut conscendat Poloniæ Thronum* Competitor aliquis, qui ipsis fortasse non arrideat? & cum sole clarius sit nullum ejusmodi extare exemplum, nullum juris vestigium, an jam non incomperto est, eos in sola armorum potentia jus omne ponere, virium suarum magnitudini

 præ-

præſidere; eaſq; dum in ignavos incidant tempeſtive atq; magnificè oſtentare. Qua in re ſi ita res ſe haberet; ut hoc ſcriptum nos docet & quis ſummam manu non palpat injuſtitiam?

§ V.

Eandem curā eſſe prorſus ſuperfluam.

Curam vero hanc adeo ſolicitam extraneorum Principum circa noſtras res, uti injuſta eſſet, ita minimè neceſſariam eſſe Reipublicæ quilibet videre poteſt. Bellum apud nos nullum eſt & nullum veremur, quieta & pacata ſunt apud nos omnia, de petendis ab aliquo ſuppetijs nec cogitavimus quidem, neſcijs & invitis nobis offeruntur ea, quibus nunc minime egemus ſubſidia. Sinant illi potius conſultationes noſtras pulcherrimum quem cæperunt peragere curſum, ſinant nos concordes eſſe, nos noſtras diſſenſiones domeſticas ſolitis in libertate artibus, quas alij minimè callent egregie componemus, nos utilius bono noſtræ Patriæ conſulemus, quam oppidò magis veriuſq; amamus quàm illi. Amens ſit, qui Germaniam à Gallis magis amari putat quam ab ipſiſmet Germanis: Amens quoq; ſit qui Poloniæ bonum magis à Germanis & Moſchis quàm ab ipſiſmet Polonis deſiderari procurariq; exiſtimat. Optimè volumus Patriæ, optimè cogitamus de Patria, nihil opis, nihil præſidij, nihil conſilij in hac cauſa eligendi Regis ab exteris quærimus. Fortunatos, felices, beatoſq; nos, ſi Cives ſoli ſine peregrinis conſilijs qui ſua non noſtra quærunt, nobis more veteri Regem deligimus, ſi noſtrâ induſtriâ noſtris artificijs, quibus à cunabulis in Republica imbuti ſumus, utimur in conciliandis noſtratium animis. Exuant ergo oramus anxiam adeo circa res noſtras ſollicitudinem exteri, nec ſua arma ſua præſidia deprecantibus offerant, ſine quibus res noſtræ poſſunt longè commodius ſecuriuſq; peragi. Nos omne lumen & vires ad rite peragendam Electionem à DEO, & ſola Civium deſideramus concordia, ſine qua totus terrarum orbis facile nos oppreſſerit, nihil iuverit. Ad quam nos non inducent ullatenus extranei Homines, ſed nos ipſi, noſtræ neceſſitudines, noſtræ rationes, noſtræ amicitiæ.

§

§ VI.

Adeoq; nedum hic superfluas minimeq; nobis necessarias exterorum circa nos curas credimus, verum etiam ut hoc scripto proponuntur, eas nobis damnosissimas & injuriosissimas esse justissime quereremur. Injuria enim est longè gravissima nisi à solo Deo dependenti Reipublicæ aliena & tam quidem acerba audire imperia, *illud vobis Poloni permittimus, hoc nunquam permissuri sumus*. Sim vel juratus Capitalisq; illustris Personæ hostis, contra quam ista se declarant Germani & Moschi: *quod nunquam permissuri sunt ut conscendat Poloniæ Thronum.* Contineo meam tantisper si quæ sit invidiam, mecumq; cogito; & si vero (fieri enim hoc omnino potest) tota Respublica nemine Polono contradicente sopitisq; domesticis dissensionibus illum ipsum sibi optabit eligetq; Regem? non obstat, *Germani & Moschi nunquam permissuri sunt ut conscendat Poloniæ Thronum.* Nam qui minatur *nunquam* rem asserit nulla unquam posse ratione fieri. Sed Republica Legibus suis quo Rex Poloniæ legitimè eligatur hanc solam conditionem desiderat *Concordiam Civium*? non obstat, jam nunc expectandum est etiam utrum electum concorditer Regem conscendere Thronum Regium permittant Germani & Moschi. Sed hæc est aperta Authoritatis & Dominij supra æqualem sibi usurpatio contra summum jus gentium? non obstat, nec his rationibus decertare juvat, Germani & Moschi quod ipsis non lubet nunquam permissuri sunt. Jocone (dic sodes mi *bellicrepe* Scriptor) an serio permissuri non sunt? Jam Legiones in Silesia collocârunt, ferunt jam & ad Lithvaniæ limites partem aliquam militiæ constitisse. An jam ergo potest ulla major excogitari injuria antiquissima libertate eligendorum quos placet Regum gaudenti Reipublicæ? nonne hac ratione tota illius status ratio convellitur, nonne illi pretiosissimum ac inæstimabile pignus priscæ libertatis ab externis eripitur? nonne jura Supremi illius Dominij & *Independentiæ* lethali hoc petuntur ictu? nonne incredibilem inauditamq; hactenus violentiam & oppressionem comminatur Liberæ Reipublicæ hæc in periosissima dicendi agendiq; ratio, *nunquam permissuri sunt*? Hæccine est illa legitimè libereq; peragendæ Electionis quæ nobis ab exteris offertur cura? tali cura quid nobis obsecro posset esse damnosius?

Tandem curā qualem scriptum ostendit esse injuriosissimam Rplicæ independen.

Adhuc

Factionũ fons & origo.

Adhuc ego illam alijs è causis injuriosissimam esse nostræ Patriæ dico. Illa enim partim metu, partim promissionibus, partim magna pecuniarum vi in diversa studia discerpet Cives, factiones excitabit, discordiám alet, ambitionem fovebit, avaritiam exacuet. Quanto putas facilius esset in eandem sententiam dissentientes pertrahere, unam amantes Patriam quamvis principio diversa volentes conciliare Cives, si peregrini homines *non seminarent zyzania*, non affunderent flammæ oleum, non oppugnarent egentiores auro, potentiores magnis pollicitationibus, terriculamentis simplices. Mihi crede, nam non credere omnino non potes, istud unum quod mox dicam longe certissimum est, extraneos istos homines qui talem nobis pollicentur curam, nunquam adhibituros eandem ut simus concordes Poloni, qua in re tota vis Reipublicæ & fortuna consistit, sed curaturos potius ut maximis invicem dilaceremur discordijs, concionaturos palam exhortaturosq; ut simus unanimes, sed clam contraria totis viribus incensuros studia. Si hæc tutela externorum Principum vera esset de qua hoc commonemur scripto, mendax ego vanusq; sim, si non in ipso Comitiorum exordio progressu & fine videbis, quod (uti in magno populo fieri nequit, ut omnes statim idem sentiant, melior tamen solet esse sententia quæ præcipuorum & plurium quibus paulatim uniuntur & cæteri) videbis inquam quod procuratores hi (si dijs placet) Reipublicæ longè minori parti adhærebunt contra majorem Reipublicæ partem, si millenos idem sentientes viderint, si denos aliud sentientes repererint, confirmabunt denos, millenos deserent, obstinationem paucorum, constantiam, rationem multorum pertinaciam dicent, non illos his, sed hos illis adjungere satagent, omnem movebunt lapidem ne pauciores accedant pluribus, audaciores non prudentiores juvabunt, quis enim prudens in quacunq; demum natione magis extraneis quam suis fidat? Vociferabuntur deinde divisam Rempublicam quam ipsi discerpent, conclamabunt calcari à nobis leges, violari Libertatem quam ipsi factionibus oppriment. Hæ erunt extraneorum hominum apud nos de nobis curæ, si ad sententiam hujus scripti nostram procurabunt Rempublicam. En Tibi (quandoquidem huc sermo noster delapsus est) Lydium lapidem, quo in futura Electione dignoscam perfacile, qui extranei Ministri bona nobisq; non ingrata cura opitulabuntur Reipubli-

publicæ, qui autem secus. Illi majorem omnino, spectabiliorem innumeris probatissimisq; compositam civibus sequantur Rempublicam. Isti cuicunq; (nam in tanta multitudine & has oportet oriri) se adijcient sectæ, illi omnia palam, clam agent nihil, isti multa palam plura clandestine machinabuntur, illis concordia, his divisio addet animos, sola humanitate nobiscum certabunt illi, isti non tam utentur gratia, quam superbis nos urgebunt minis, illi pacem ferent, hi bella horrida comminabuntur; intelligere jam potes, utri populares gratiq; omnibus? Malim autem me voces olim hebetem malumq; hominem, quam ut ita hæc aliquando eveniant. Sed certè eventura sunt, si talem vicini nostri, qualem hoc scripto malevolus nescio quis explicuit, vellent gerere nostri curam.

Pessimum ad posteros præjudicium & exemplum.

Quæ præter hoc pestilentissimum malum, factiones nimirum & discordias quas aut suscitaret aut obfirmaret in Republica, non minori nos alio æterno siquidem afficeret detrimento. Sinamus enim hujus scripti adacti terroribus, sub tempus Electionis hujus curatoribus nostris qui tam sævis agunt nobiscum minis id succedere ex eorum sententia, ut excludant & nunquam permittant Regem hunc, quem nolint apud nos illi: Præjudicium hoc nonne futuris omnibus Electionibus vim insuperabilem afferet? Nam si hodie nullo jure, nullo exemplo nixi tam imperiosè nobis prohibent, ne audeamus hunc optare, qui illis non placeat, quid olim obsecro non tentabunt, hoc muniti præjudicato exemplo? quem jam olim sinent nostrum conscendere Thronum, nisi prius illi nobis facultatem Regis assumendi benignè tribuerint? hac tempestate non permittent nobis unum eundemq; Germani & Moschi, olim alium Germani, alium Moschi, alium Turcæ, alium Galli, alium Angli, Sveci, Daniq; alium, excludere volent, quilibet illorum vel nolentibus nobis curam suam (dicant ingenue vim & serviles minas) ostentabit Reipublicæ, ita nostra illa liberæ Electionis quæsita multo sangvine gloria reperta multo, ita nostra illa Libertas, ita supremi & à nullo hactenus dependentis dominij jura in re longè maxima nulla recuperandum ætate patientur detrimentum.

§ VII.

§ VII.

Curam hanc juxta idē scriptū esse intolerabilem & iniuriosam Reipublica.

Quamobrem talis hæc qualis in hoc ſcripto nobis obtruditur externorum cura, cum ſit Reipublicæ noſtræ longè damnoſiſſima, tum ob vim crudelem, quam infert non dependenti ab ullo, & Supremæ Jurium ſuorum Dominæ Reipublicæ, tum ob factiones quas excitabit & alet, tum ob triſte præjudicium ſæculis non emendandum futuris Uſurpatæ *Exclusionis*, cum hæc ipſa externorum circa res noſtras cura ſit omnino ſuperflua, ſine qua longè facilius, citius, tutiusq; res noſtræ ſuccederent, cum hæc ipſa tam minax & ſuperba rerum noſtrarum cura, ſit longè injuſtiſſima nullo jure nullo hucuſq; præjudicato firmata, an non proinde liberi Populis eam graviſſimam & omnino intolerabilem eſſe aſſeverare par eſt? an non ea in ſummam Poloni nominis vergit ignominiam & dedecus, quod externi apud nos œconomiam rationesq Reipublicæ pertractent, quod ſe Patresfamilias, ſummos arbitros, dictatoresq; in alieno conſtituant, quod nos minis, armorumq; terrore adigant, quod jubeant, vetent, permittant, non permittant quid nos velint quidve nolint Polonos facere?

Conclave Pontificium.

Quid eſt? an Conclave Pontificium in noſtræ liberæ, nulliq; obnoxiæ hactenus Electionis campum externa invehere conantur Imperia? ut deinceps non ille quem Patrias juxta leges optabimus, ſed ille Rex noſter ſit quem Vicinorum clementer permittet apud nos regnare Indulgentia? Audiſtiſnè hucuſq; Poloni odioſiſſimum *Exclusionis* nomen, quo uti ſolent Germani, Galli, Hiſpaniq; Vacante Pontificia ſede cum aliquem è Patrum Purpuratorum Collegio volunt ſummo privare Sacerdotio? qui ſolus obex ut illi volunt ſufficit, ut is nullatenus eligatur PAPA, in quem omnes etiam Electores conſpirarent? ſi illum unus aliquis ex his Principibus *Thronum Pontificium conſcendere non permittat*? Ite igitur, & quem vocatis Electoralem ad Varſaviam Campum, primo inauditoq; exemplo transformate in Conclave adinſtar Pontificij, cavete ſcilicet hunc eligere Regem, *quem Germani Moſchiq; nunquam permiſſuri ſunt aſcendere apud vos Thronum Regium.* Hac Electione admittite jus novum Exteris nationibus *Excludendi* competitores noſtros, futuris temporibus dabitis ejuſdem Jus nobis *Imponendi* Reges. Quibus enim artibus, qua vi nunc illis ſuccedet quos volunt *Excludere*, eiſdem

arti-

artibus eadem vi ſuccedet illis nobis *Imponere* quos volent Dominos. Nam & qui poteſt vetare, idem quoq; jubere poteſt.

Aut vero ſanius Poloni intelligite ex hoc ſcripto quid ſibi velint prægnantes hæ circa noſtram Rempublicam externorum CURÆ, quæ ſeſe tam injuſtè, tam ſuperflue, tam damnoſe in noſtram Electionem ingerunt.

Hæc ſunt MARCELLE mi quæ à præcipuis in Republica Viris, conſtantia ſapientiaq; clariſſimis de ſententia hujus ſcripti hic palam dicuntur. Judicium quoq; Tuum hac de re erit mihi pergratum. Vale.

RESPONSIO.

MARCELLUS SERENO ſuo S.

FAcile quid hoc ſcripto, tuiſq; animadverſionibus judicem intelligere potes, dummodo me hominem natum in hac Republica cogites. Quid vero ad hæc illi, quos hæc non genuit Patria, aut quos illam nunquam genuiſſe fuiſſet melius? Hoc enim adhuc mihi à te deſiderari videtur, ut colores quoquè eos diluas, quibus illi juſti ſibi videntur nobis amici videri volunt, quo benevolentiæ ſpecie minus ſuſpecti magis noxij facilius tutiuſq; noſtram libertatem opprimant. Vale.

EPI-

EPISTOLA 2da.

SERENUS MARCELLO SUO SAL:

§ I.

Responsiones diluuntur.

PErmultas ſane illi (ſiquidem Marcelle mi hoc adhuc tibi deſiderari intelligo) ad ea quæ diximus reſponſiones, quæ etiam ex hoc ſcripto poſſunt colligi, nobis reponere ſolent. Imprimis non illi ſeſe rebus noſtris ingerere, non imperioſe nobiſcum ſe agere profitentur, ſed amica ad quæ obſtricti ſint præſtare obſequia. Eſt ne vero (reſpondent noſtrates) amica Nationi Polonæ præſtare obſequia, propugnandæ ſi Dijs placet Liberæ Electionis cauſa, Equitum peditumq; Legiones (ut hoc Scriptum debuccinat) ad limites Regni hinc inde collocare eoſq; velut obſidione concludere? Non vafer ille, ſed ſtultus ſit neceſſe eſt, qui nos ita cæcos hebeteſq; exiſtimaret, ut non intelligamus illos potius hac Legionum ſuarum mira oſtentatione nobis velle metum incutere, velle à nobis timeri, velle nos comminatione noſtris cervicibus imminentium armorum cogere, ut velimus nolimus, ad eorum nos fingamus arbitria. Nam quod iſtud inter vicinas gentes amicitiæ genus eſt, repente numeroſo & irruptionem comminante milite alienos circumfundere limites; obtrudere non petita ſubſidia, prius exercitum oculis conſpiciendum præbere, quam noſtræ illius ad aures pervenerit? o ſingularem amicitiam, o egregiam humanitatem & curam noſtri de qua nos hic ſcriptuarius commonet.

Amica obſequia.

Admonitio Fraterna.

Ajunt etiam mirifica quadam humanitate & gratia non ſe minari, non ſe Polonos Gentem liberrimam cogere, ſed tantummodo triſtes ſe tempeſtive repræſentare ſequelas, ob oculos eventura ponere, quorum ſera ſit ubi evenerint pænitentia, & perinde inutilis deteſtatio. Ad hoc reſpondiſſe me commemini, nihil præſtabilius cuiquam eſſe debere admonitione ſincera; gratam nobis quoq; eſſe oportet ab externis hominibus animadverſionem e-

juſ-

jusmodi quæ cum modo sit, sed enim quæ imperio propior quæ persvasionem serviliter jactis exasperat minis, eam & esse omnino ingratam, & nihil apud liberos profecturam. Vana siquidem, ut inquit Tacitus, apud liberos minantis auctoritas est. At verò hic, est illa perelegans & sanè urbanissima persvadendi ratio: *Nunquam permissuri sunt, &c. legiones collocarunt &c.* ecquid quæso illa svavius, quid Civilius, quid jucundius quid ad pertractandos devinciendosq; amicæ liberæq; Gentis animos opportunius?

Quod si verò tristes nobis sequelas homines præsagi obnunciant, mirari iam illi desinant nos tam fatali divinationi nec aures dare, nec posse credere, nec ad ijs credendum religione ulla obligari. Cognita nobis enim est hocq; sole lucidior Optimi sapientissimiq; *Imperatoris* Iustitia, religio, pietas, & erga Rempublicam singularis benevolentia, hæq; ipsæ totidem præclaræ dotes *Roxolanæ Augustæ*; fierine potest? potestne cum eorum insigni Iustitia, Religione, Fide, Christiana pietate, benevolentia cohærere ut conspirent ad opprimendam infestis armis innocentem immerentemq; Rempublicam suo jure, suis legibus, sua potestate & munere sibi Divinitus concesso usam? qui contra tam religiosos bonosq; Principes talia effutire ausit, (nam scio non deesse qui Cæsarem Moschosq; mox nobis bellum nescimus penitus qua de causa illaturos impiè spargunt) meretur, meretur ille postulari crimine Majestatis; meretur & nostræ Patriæ declarari hostis, atq; ut ipsi aqua interdicatur & igni, qui hoc malevolentiæ suæ quasi quodam veneno corrumpere studet tenerrimos nostros erga Domum Austriacam Russicamq; sensus. *Præsagia Eventurorū.*

Quamobrem cum nos nihil omnino minus quam de bello aut de quærendis belli causis cogitamus, desinant nos desinant isti terrere fatales Hariolii, qui inspecto quodam VRI capite, causa nostrorum jurium, Poloniam universamq; Europam, Germaniam, Moschoviam, Italiam, Galliam, Turciam, Sveciam iniquissimo conflagraturas bello perciti quodam sacro furore divinant,

Tum magnum exitium (quod Dy prius omen in ipsos
Convertant) Priami Imperio Phrygibusq; futurum.

Nos hæc ut paucis dicam terrent minimè, DEI, Cæsaris, nostræq; confisos justitiæ. Quodsi quid simile fortasse nec opinantibus nec merentibus evenerit, æque nobis principia ac exitus

 fato-

fatorum ignoti sunt. Hoc unum Optimo Maximo Teste DEO Poloni novimus, nos nemini indicturos bellum, nec ullam belli exteris daturos causam. Incipere autem bellum cuivis vel ignavo licet, desinere nisi cum fortuna voluerit. In illa verò fati inclementia & necessitate durissima, Polonus non est, qui se optet Libertati superstitem. Cæterum ita animos hominum natura formavit, ut cum de vindicanda Patria Libertate agitur, postponendus illius jacturæ videatur quivis etiam maximi & præsentissimi periculi metus. Nos tamen hæc ut iterum repetam terrent minimè, DEI, Cæsaris, nostræq; consisos Justitiæ.

Commemorant quoq; Augustissimos Imperatores Scutū sēper periclitantis Reipublicæ extitisse. Id verò quoties contigit, toties Respublica gratissimum exhibuit animum exhibebitq; semper: semper itidem fortunæ gratulabitur suæ, extitisse se quoq; Scutum cadentis Viennæ & periclitantis Germanici totius Imperij, hacq; ratione jam luculenta satis grati animi sui documenta Orbi præbuisse. Mihi autem videtur, ex eo quod aliquis periclitanti amico aliquando opem tulerit, non mox consequi quod ejus Libertati & juribus injuriam tuto inferre possit. Natura verò abhorret ipsa vim & injuriam, beneficium & benevolentiam è sententia audacis hujus Scribæ, appellitare. Quamquam vel ipsa quoq; beneficia nolentibus & fastidientibus ingrata esse soleant.

§ II.

Tranquillitas Vicinorum & Tractatus 1677.

Quod autem maximè & hic loquutuleius suo inscripto exaggerare videtur & nonnulli suis confirmare sermonibus solent est omnino singulare, nimirum asserunt Augustissimum Cæsarem (ut & Serenissimam Dominam Moschoviæ) suis se statibus & dominijs tranquillitatem quærere & præmunire. Hasq; adeò solicitas, Germaniæ curas circa nostram Electionem, niti fœdere Anni 1677. quod renovatum est Anno 1732. Ad has oppido magnum quid sonantes splendidasq; voces, Magnificum verò reapse *prætextum* omni justitiæ colore denudandum, & si ea omnia, quæ altera Epistola Tibi mi *Marcelle* à me paulò post mittentur, efficacissima fore non dubitem, tamen opportunè me fa-

ctu-

ctum judicavi solam hic nobis necessariam partem hujus Tractatus exscribere, quo dilucide intelligatur, utrum in eo sit tale quidpiam, quod *Ius nunquam permittendi conscendere Thronum Poloniæ* quem Poloni optaverint, constabiliat. Nam ut cætera alio pertinentia omittam hæc sunt verba Fæderis quibus mutuo se obligant Imperatores, Regesq; Poloniæ.

Ac primum quidem &c. Nos omni honore, fide & amore invicem prosequi & promovere debemus, in locis omnibus, & temporibus ubi nobis id faciendi se facultas obtulerit, citra dolum & fraudem aliquam. Et infra: *Quomodo alter alteri auxilia ferre velimus, id in arbitrio utriusq; nostrum, & ordinum Regnorum nostrorum positum esse debere &c.* Dicet hic Scriptuarius ille: Fides & amor Augustissimi Imperatoris erga Rempublicam eum obstringit, ut cum nunc se occasio obtulerit, nec ei facultas desit, promoveat bonum Reipublicæ, eamq; juvet viribus sibi à DEO concessis contra quosvis adversariorum conatus. Respondebo ego: Respublica Polona pro amore & benevolentia Augustissimi Imperatoris eidem longe est gratissima, sed tempus istud quo armis juvari indigeat nullatenus adesse videt, nullum prorsus adversarium suum hac tempestate novit, cum proximis remotisq; omnibus gentibus perfectam colit amicitiam, bellum nec ullum incipit, nec ullum sibi imminere veretur. Pacifica interius exteriusq; Regem à DEO præstolatur quemcunq; Patriæ aut Mundi Civem, & in eo eligendo, quicunq; sit ille, totam vim suæ libertatis collocat. A nemine cogitur, à nemine per vim Rex illi imponitur quem nolit Ipsa. Proinde rebus suis ita tranquillis, tantum abest ut petat, ut etiam deprecetur armata auxilia. Si quis autem illi non indigenti & non petenti militares obtruderet suppetias, eum cum dolo & fraude secum procedere coram Majestate Cæsarea conquereretur, & contra talem, Augustissimi Imperatoris potentissimam imploraret manum.

Neq; committemus unquam, ut alter alteri, aut Familiaribus ejus, Vasallis, & subditis quibuscunq; Regnis, Ducatibus, Terris & Civitatibus ei subjectis & sub ejus obedientia & defensione constitutis, quacunq; ex causa bellum inferamus, inimicitias denunciemus, diffidemus, aut hostiliter eos impetemus per nos, aut submissas personas, fraude & dolo semotis. Hic Scriptuarius ille philosophabitur: Rex & Respublica

jurejurando se obstringit, nec per se, nec per submissas Personas quacunq; ex causa perturbaturam pacem cum Cæsare, Personam vero quæ fortasse optatur ut conscendat Thronum Poloniæ palam est cum ratione timeri ne perturbet rem Domus Austriacæ. & inimicitias excitet inter eandem & Rempublicam, quare rem hanc manifestè contrariam esse fæderi quis non videt? Ad hoc responsurum me in alia ad Te mi *Marcelle* Epistola adeo clare sufficienterq; confido, ut calumniatorem hunc sui ipsius pudere incipiat, quod siverit vanissimis sibi caput perturbari chimæris. Quasi nesciret ille jus belli inferendi in Polonia *esse Ius Reipublicæ non jus Regium*, Regemq; sine Republica cum de bello agitur ne hilum quidem posse. Rempublicam ergo ille tacite hic fædifragam perjuramq; aut esse aut forè arguit, dum illam divinat calcatis Sacrosanctis cum Austriaca Domo fæderibus, bellum Austriacis illaturam, cum tamen Reipublicæ nostræ nihil sit sanctius nihil antiquius, nihil magis necessarium, quam cum Augustissima hac Domo æternam pacem colere. Ita tu crudelissime homo desævis contra innocentiam honoremq; nostræ Reipublicæ, quod illam asseras aut Personam quærere quæ pacem cum Austriacis rumpat, aut quod Respublica sui jurisjurandi ultionisq; Divinæ immemor sequetur futuri alicujus Regis sui (nam talem eum fore impiè tibimet præsentire videris) ambitionem, invidiam, malignitatem, privatasq; Regis sui rationes præferet DEO, Iustitiæ, Cæsarum amicitiæ, paci, sangvini vitæq; Civium, & mox ut Rex volet calamitosissimo cum Germanis & Moschis sese involvet bello? Ita tu juris nostri Libertatisq; opprimendæ ut causam in promptu reperias, ut non ineptè scripsisse videaris tuum, illud: *Nunquam permissuri sunt*, nescio quæ nigri atria Ditis & tristes sine sole cavernas ingressus, metus, pavores, furias, perfidiam, perjuria, scelera producis in aciem, & remotissima quædam furiosissime confingis pericula, ut nos præsentissimæ Calamitati belloq; immisceas? Cæterum quod Tu nullo veri fundamento, sed è sola mendacissima quidem futurorum prædictione asserere audes nos aliquid contra fædus attentaturos, id ego è re manifesta non dubitarem asserere, quod tunc demum contra Sacrosanctam fæderis fidem apertissimè peccaretur, si causa metuq; vanissimo belli nunquam futuri, Augustissimus Maximusq; Imperator (quod de Majestate & Religione tanti Principis sentire

æque

æquè impijssimum est) Polonam Rempublicam liberè quos vult sibi eligentem Reges hostiliter impeteret, illiq; inferret bellum.

Deinde sicut etiam Literis Divi Friderici cautum est, ita nos invicem uniendos, obligandos, alligandos, Confœderandos duximus, quemadmodum unimus, obligamus, promittimus, alligamus, confœderamus præsentibus; quod ex hoc tempore ipsò, perpetuo, realiter, & cum affectu invicem & mutuo obligati, alligati, & confœderati simus & erimus, & inter nos & subditos nostros nec non Regna &c. perpetua indissolubilis & Christiana Pax esse, servari debeat & debebit. Ex hac tam arcti fœderis sententia audivi quendam extraneum hominem ita argumentatum fuisse: Respublica cum adeo sit unita & confœderata cum Majestate Cæsarea, tantæ amicitiæ vim ut ipsò contestetur affectu, non potest sibi Regem optare aut assumere talem, de cujus amicitia possit dubitare Austriaca Domus. Adversatur id enim veris amicitiæ officijs, si tale quidpiam admiseris quod amico displicere cognoveris. Ad quæ ego respondi: hanc unam profecto esse debere efficacissimam Reipublicæ Polonæ causam eamq; primo ponendam loco, ut de quocunq; quamvis summo Homine ad Regnum assumendo ne cogitare quidem velit, de cujus amicitia verè dubitare posset Majestas Cæsarea. Sed vero hic nullus hæsitandi locus est, quod ille quẽcunq; Polonia sibi optabit Regem, conservabit eodem quo Respublica animo strictissimæ amicitiæ fœdera cum Augusta Domo Austriaca, neq; eadem non conservare non poterit, ad quæ primas inter conditiones Deo & Reipublicæ jurejurando sanctissime obstringetur. Accedit id quod omnem dubitationem omnino tollat. Arcanum esse & summam rationem status Reipublicæ Polonæ, æternam servare amicitiam cum DomoAustriaca, inde splendorem, inde securitatem, inde tranquillitatem, inde potentiam Reipublicæ præcipuam accedere; quare fieri omnino nequit ut Polonia cum Rege suo contra Arcanum Rationemq; status sui proprij unquam conjunctissimam hanc necessitudinem vacillare sinat cum Augusta Austriacorum Gente. Sed crede mihi *Marcelle* mi, si veræ essent, (quas ego semper contempsi uti falsissimas) hujus scriptuarij comminationes, illarum causa non est quod Imperator olim de amicitia Regis, & Reipublicæ quidquam dubitet, aliæ sunt, aliæ omnino causæ, quas ego Tibi paulo clarius alia fortasse adducam Epistola.

Et

Et in omnibus utriusq; nostrum Honorem, dignitatem, statum, augmentum, concernentibus vel concernere valentibus mutuo nobis auxiliabimur, consulemus, invicemq; promovebimus & assistemus. Expectabam hic admodum curiose utrum hoc loc hæc quoq; non apponeretur conditio: *nunquam PERMITTEMUS invicem, ut Imperatorium vel Regium Thronum conscendat aliquis, quem alterutri excludere voluerimus.* Sed omnino nihil simile reperitur: religiosè autem Tibi *Marcelle* mi juro, optimum meum hujus tractatus exemplar non esse adulteratum nec rasum. Sed mox sequitur: *Nec alteruter nostrum quidquam faciet, cupiet, pertractabit, aut molietur, quod contra alterutrum nostrum, Regna, Principatus, Dominia, subditos, honorem statum, dignitatem, aut augmentum sit, aut tendere possit.* Hic vero plenus animus meus scriba alterna quatiet resonantia pulpita dextrâ, & raucam vocem dabit & bis Stentora vincet, inclamabitq; En Respublica religiose se Jurejurando obstrinxit quod nihil nedum pertractabit, sed etiam cupiet quod contra Sacram Cæsaream Majestatem ejus honorem, statum, dignitatem, aut augmentum sit, aut tendedere possit, istud vero de quo agitur tale est, quod contra Sacræ Cæsareæ Majestatis honorem, dignitatem & augmentum esse arguitur, unde manifesta Sacri fœderis violatio. Hæc tu clamosissima voce? modesta respondebo & ego. Non minus certe Sacra Cæsarea ter augusta Majestas se jurejurando religiose obstrinxit, quod nihil faciet, cupiet, pertractabit quod contra Rempublicam ejus honorem, statum, dignitatem, aut augmentum sit & tendere possit: istud vero de quo agitur (quod ego falsum esse quam maximè credo, sed quod tu tamen inepte posuisti, *Nunquam permissuri sunt conscendere Thronum Poloniæ,* istud inquam tale est quod non tendit quidem, sed jam omnino apertissimè lædit honorem & dignitatem, subvertit statum, tollit augmentum Reipublicæ. Nam si hoc non tibi videtur manifestè adversari honori, dignitati & augmenti Reipublicæ cum illi crudeliter comminaris, *Germani & Moschi nunquam permissuri, ut ille conscendat Poloniæ Thronum, quem excludere volunt,* & quem alias Concors Respublica jure suo sibi potest eligere, (non dico quem *eliget,* sed quem *potest eligere,*)in eoq; majorem suam dignitatem honoremq; collocare, si inquam hæc ejus primi summiq; juris oppressio non tibi manifeste videtur pugnare contra honorem decusq; Reipublicæ, & quid jam obsecro crudelius tu excogitare potes

tes quod in turpius Reipublicæ vergat dedecus in damnumq; majus? Nos autem tantum abest ut pertractemus aliquid, ut ne cupiamus quidem contra Dignitatem & augmenta Domus Augustissimæ Cæsareæ: Custodia namq; suorum & cura jurium, nullius injuria est. Nullum competitorem à nostro Regno posse ab alijs excludi contendimus, posse à nobis legitime Regem quæri sive in Patria, sive extra Patriam; Regemq; futurum, quem Deus & infusa divinitus Concordia Civium voluerit Regem. Hæc est quam (mi Scriba) non intellexisti hactenus Libertas nostra, hanc cordi esse curæq; fore Augustissimo Imperatori, & Serenissimæ Authoratrici Moschoviæ minime dubitamus, non eam quam dicis Tu tuis coloribus homo nostræ infestus Patriæ in fædissimam deformasti penitus servitutem.

Hæc sunt quæ in præsentia ex hoc Sanctissimo Fædere exscribenda mihi videbantur, nam cætera omnia vel his sunt omnino similia, vel ad privata quædam negotia pertinent. Neq; in vetustioribus fœderibus inter Casimirum Albertumq; Reges, & Fridericum Imperatorem, inter Sigismundum III. Vladislaumq; Reges, & Ferdinandum Imperatorem. &c. &c. quidquam ad rem præsentem singulare occurrit. Ex quibus omnibus (quod hac Epistola me tibi præstare jussisti) id unum concludo, nihil in eis reperiri, quod juri liberrimæ Electionis nostræ possit aliquod afferre incommodum; quodq; Scriptuarius hic nec ulla solida ratione, nec ullo fædere possit communire *Prætextum hunc Ingentium nobisq; gravium curarum*, quibus ille prima Scripti sui parte videtur tantum justitiæ attribuere. Cætera ad ulteriorem tecum literarum consvetudinem reijcio, quæ jam subvereor ne te sacietate afficiant. Vale.

RESPONSUM.

MARCELLUS SERENO suo S.

QUod petieram, quod desideraveram præstitisti. Id unum Te adhuc commonere volo, quod tum demum sole clarius elucescet, & à nullo homine ratione prædito id quod dixisti hacte-

hactenus negari poterit, externorum videlicet Principum curas circa nostram Electionem (uti à malevolo illo Manliani aut Sullani in morem Imperij expositæ sunt, cum dixit *nunquam permissuri sunt*) tum demum (inquam) agnitum iri eas esse maximè injustas, esse superfluas, esse longe damnosissimas Reipublicæ, cum sufficienter adhuc demonstraveris, si Elegerimus Serenissimum STANISLAUM Regem nihil nos acturos contra ullius vicini Principis honorem, dignitatem rationesquè, contra vero quod istæ ut in hoc scripto leguntur curæ, totis viribus tendant contra honorem, dignitatem rationesq; Reipublicæ. Scito autem nō me mirari neq; ullo tædio affici ob longitudinem literarum Tuarum, tanta enim rerum necessariarum copia & varietas adest, ut animo non satietatem afferat, sed legentis potius alacritatem excitet. Vale.

EPISTOLA 3tia.

SERENUS MARCELLO SUO SAL:

§ I.

ID certe quod scribis, tota animi contentione & studio præstare me oportet, quo jam nostratibus omne dubium & difficultas funditus evellatur. Istud tantum quæso memineris semper, me hic nihil aliud conari ostendere, quam hanc duntaxat sententiam, à nemine extraneo justa quapiam causa posse excludi solio Serenissimum STANISLAUM. Adeoq; priore Epistola generali quadam ratione egi, nullum Competitorem quemcunq; sibi optet Respublica ab ullo excludi fas esse, hic vero de uno deinceps agendum est.

De Titulis Sereniss: STANISLAI. Debet autem à me primo loco notari inhumanitas & admodum inurbana agendi ratio, qua Scriptuarius ille usus est, cum sine

ne ulla debitæ venerationis honorisq; significatione, quasi suum quempiam cui sit committendus Rivalem, continuo appellitat STANISLAUM, contraq; Sacrum ejus Nomen malignis non parcit convitijs, qua insulsa rusticitate & maximi Hominis Dignitatem & Regiam Galliæ Domum homo inelegans imperitius malevolusq; offendit. Nam, (ut alia desint) sic tu incivilis scriba Socerum Regis Galliæ, Patrem Reginæ Galliæ, Avum Atavumq; Regum Galliæ tractes? Negesne eum Principem Regij sangvinis quo Regi Reginæq; Galliæ & Regnaturis in Gallia sit nemo propior? Negesne eum per Familiam Gallicam, Hispaniarum Regibus & Augustis Imperatoribus omnino affinem & sangvine junctum? tantum ergo Principem quo nemo Domui Gallorum Regiæ conjunctior honorificentius appellare nondum didicisti à ferula? aut certe si non imperitia fortasse pecces, malevolentia Regnantis in Gallia Domus Honori esse non debes injurius. Primum ego hic tecum ajo tanquam si, qui revera Rex est, non esset Rex ille, quem tu sic inurbane tractes. Nostin quod cum quis ad Summum Pontificatum evehitur, mox illius familia nemine uspiam intercedente Principum gaudet titulo? Si Augustissimus quoq; Imperator quampiam è Nobilitate Italica Germanica Polona sibi uxorem duceret, Patrem ejus Imperatorisq; Socerum tam inverecunde omniq; respectu ad Personam abjecto more Tuo me nominare sineres? Aut ergo Parentem (ut ais) Reginæ Galliæ, licetsi non esset (uti est) Persona Regia tamen ut tanti Regis Socerum tantæ Patrem Reginæ debito honore compellare debueras, aut singularis impudentiæ Te ipsum condemnare debes. Castigata latinitate (quæ temporibus Octaviani Augusti ad homines necdum transtulerat Serenitatem à sole altitudinem à montibus) uti te voluisse fortasse crederem, si permulta alia exiguæ illi lucubratiunculæ non aspersisses quæ latinas offendant aures. Nec ergo splendori lingvæ latinæ, nec decori personæ & Domus Regiæ detraxisses, nec contra tuam ullatenus dixisses sententiam (quamvis STANISLAUM Regem, licet minimè id Tua intersit appellare, seu agnoscere fortasse nolis) partes autem humanitatis prudentiæq; adimplevisses, si STANISLAUM Principem latine appellasses, quem & sine ullo scrupulo Serenissimum Regis Galliæ Socerum, Serenissimum Parentem Reginæ Galliæ poteras nominare, si fuisses humanior pauloq; in rebus versatior.

Dein-

Deinde cum scriptura Tua non sit aliquod Senatus consultum, non sit publicum quoddam Oraculum, aut lex quæ nostram obstringat Rempublicam, sed sit hominis privati partus, uti quidem est & meus iste, quid si tu consvetudinem omnium fere Polonorum Lithvanorumq; , omnium Gallorum, Hispanorumq; omnium Turcarum, Svecorum, Danorum, Belgarum, Italorum, omnium fere etiam Moschorum & Germanorum secutus, usus & humanitatis gratia nuncupasses STANISLAUM Regem (aliter enim à novem & viginti annis in familiaribus colloquijs, in novis publicis in libris & literis loqui non solemus) profecto nec Serenissimo STANISLAO Regi cum Regio titulo donasses jus Regni, uti neq; quod Tu subticueris Regem Regios honores mox ideo ei abrogasti.

Augustissimus Imperator Josephus, totum Germanicum Imperium (nefas omnino dicere metu Caroli XII.) Rex ipse noster Augustus, ipse aliquando Authocrator Moschoviæ Petrus (ut infra ostendam) ipsa Polona Respublica, Imperator Turcarum, Reges Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Sveciæ, Prussiæ, Italiæ Principes, Helvetæ, omnes cum suis Regnis & Imperijs, literis, gratulationibus, Publicis legationibus, agnoverunt & consalutarunt Regem STANISLAUM, quorum omnium testimonia habemus præ manibus & plura in publica versantur luce, Tu unus illis sapientior & constantior, qui unanime judicium, seu si Tu mavis, unanimem Orbis terrarum hodiedum obstinatum nolis sequi errorem? Ohe! tu non es Imperium, tu non es universa Moschovia næ tu potes securè appellare Regem. Quid homo stolidus incautusq; agis? Augustissimus Imperator Josephus Serenissimum STANISLAUM Regem Supremum Arbitrum (Garant seu Mediatorem vocant) ad sanciendum fædus inter se Germanumq; Imperium ex una, Carolum XII. Regem Sveciæ ex altera parte Anno Dñi 1707 depoposcerat, ut Serenis. STANISLAO Poloniæ Regi inscriptæ manuq; & Sigillo Imperatorio munitæ literæ testantur palam; Arbiter autem inter Coronata Capita Duoq; Imperia nemo nisi par eademq; Summa Majestate fulgens solet expeti. Serenissimus quoq; Authocrator Moschoviæ Petrus dum (ut rationibus temporum Statusq; amicitiæ Principum metiendæ sunt) cum Serenissimo Augusto II. ob certas notasq; causas pristinam amicitiam colere desijsset, sæpius publicè affirmavit, *Vivere STANISLAUM Poloniæ Regem*, quod ab

ip sis-

ipſiſmet Moſchis fide omnino dignis audiſſe me non ſemel commemini. Tantorum ne tu Principum authoritatem vilipendis? eorumne tam præclara judicia & teſtimonia tu in dubium revocare audes? vide quam Principum fidei Majeſtatiq; ſis injurius.

§ II.

Eos non eſſe ullatenus injuriosos Reipublicæ, nam liberæ Electioni nihil derogant.

Timesne, ne ſi tu fortaſſe Regem dixeris actum mox ſit de noſtra Electione libera? nos autem communiter more veteri appellitamus Regem, & omnino liberrimam inſtituemus Electionem. Quemadmodum & Auguſtum II. omnes omnino ſemper appellabamus Regem, hicq; titulus illi tuto remanſerat, quamvis ſe Regno abdicaverat. Ita pacis & humanitatis gratia non diſputamus de verbis. Neq; hæc loquendi, imò etiam in publicis quibuſcunq; actis ſcribendi ratio ſemper jus ut vocant Prætenſionis ſecum trahere ſolet, nam & Auguſtiſſimus Imperator publice privatimq; Rex Hiſpaniarum ſcribitur, quamvis omne ad hæc Regna jus & prætenſionem exuerit. Permulti quoq; alij (ut & noſter Caſimirus Rex Sveciæ poſt Olivenſe fædus) Reges palam vocati ſcriptiq; exuto omni ad Regna jure. De jure quidem Sereniſſimi STANISLAI, mihi hic nulla quæſtio eſt; maneat Ius illud quale ſua in natura eſt. Vim in illius profectò in alijs omnino rebus collocari oporteret, adeoq; vis juris certè non in titulis hæret. Hic id unum longe certiſſimum eſt, Regios Sereni STANISLAI titulos vel debiti honoris cauſa eidem denegari non ſolitos, ne punctum quidem noſtræ liberæ Electioni detracturos; nam per univerſam Poloniam indicto poſt mortem Sereniſ: Regis noſtri Auguſti ut moris eſt Iuſtitio, & Interregnum ut ſolet conſveto juxta leges Patrias procedit curſu, & Convocatio Generalis ritè celebratur, & ſingularum Provinciarum Conventus omni majori Libertate inſtituuntur, in ijſq; deliberatum eſt, & deliberabitur qualis Rex magis futurus ſit è rationibus Reipub: & Electio more veteri omnino indubitanter ut debet fiet, & non aliter (dum hoc illi in fatis ſit) Sereniſſimus STANISLAUS conſcendet Thronum, quam liberrimis gentis totius concordibuſq; optatus ſuffragijs. Proinde (quod à Sapientiſſimis in Republica viris perſæpe audivi) & Reſpublica noſtra cum nullum queat jurium ſuorum inde vereri

geri periculum, cum integerrimam omnino eligendi quemcunq; libertatem, hoc est REM possideat, dum Serenissimus quoq; Rex STANISLAUS Electoribus commendabitur, omnes de vocabulo consveti tituli reijciet contemnetq; tricas, tum ut humanitati quæ Nationi Polonæ innata est, plenè satisfaciat, tum ut dignitati STANISLAI Regis Augustæq; Domus Gallorum Regiæ decori nihil scienter deroget, tum ut erga eandem gratum contestetur animum pro amplissimo ornamento, quo Christianissimus Rex nostram condecoravit Patriam adscita sibi in Sociam Thori & Throni Serenissima Polona Principe, Filia STANISLAI Regis.

Neq, enim non præmissa prius deliberatione summa, Gallia Regios STANISLAI Regis titulos tum Anno 1719 semperq; ut antea, ita deinceps sibi videbatur asserere, tum Anno 1725 tempore Matrimonij Regij publicis rationibus actisq; inserere, sed vidit perspexitq; prius documenta omnia Confæderationis, Electionis, Coronationis, Abdicationis factæ à Sereniss: Augusto II. gratulatorias ejusdem literas, quibus Seren: STANISLAO Regi bonam precatus est Regnandi fortunam, Majestatisq; eum ritè compellavit titulo, vidit pleraq; testimonia exerciti juris Regij, suprema Tribunalia sub nomine Regis STANISLAI judicantia, vidit literas Imperatorum Occidentis & Orientis omniumq, propè modum Regum quibus STANISLAUM Poloniæ Regem Fratrem cognatumq; ut moris est salutarunt, vidit quod mihi quidem singularius est fere omnium (temporis duobus tribusve) Senatorum & Procerum Poloniæ, eorum inquam qui constantius Serenissimo Augusto adhæserant secretiores literas ad Seren: STANISLAUM Regem permagna veneratione conscriptas, quibus aut illi sua devovent obsequia, aut Regiam ejus orant Clementiam, quas Epistolas sua quisq; manu scriptas hodieq; perfacile recognoscat. His itaq; claris adeo monimentis confirmata Gallia, minime dubitavit, & eum titulo Regio publicè honorare, & deinde Regios illius titulos immortalibus Regum suorum Regniq; Actis orbi notis inserere *sciente, nec reclamante Republica.*

Præsertim cum nihil penitus id esset noxium aut injurium Reipublicæ, nihil penitus inde detrimenti in Electionem liberam redundaret aut unquam redundaturum sit, quod Seren: STANISLAUS Regis Poloniæ titulis & honoribus ab amica Poloniæ

Gal-

Gallorum gente totq; alijs nationibus coleretur publice hodieq; colatur.

Et certè prius Scriba hic cum quo agimus, (nam & honor ipsi aliquis à me præstandus est) eligetur Rex Poloniæ, quam Res-publica demet aliquid ex Regijs titulis Seren: STANISLAO. Nec verò (ut cum sapientissimis Reipublicæ viris quod sentio dicam) nec inquam potest demere, cui nec ipse DEUS Optimus Maximus Regium quem contulit (nam ita Sacerdotes vocant) *Characterem* adimet, semel Coronato & Uncto. Rumpatur quisquis rumpitur invidia, STANISLAUS REX est profecto eritq; semper insignis pars Polonæ Historiæ, si vel hodie esse Mortalis desineret, semper illum inter nomina & venerandas Imagines Polonorum Regum numerabit spectabitq; posteritas. Defuerit (ut id quoq; hic non subticeam, namq; adulari nescio & qui me fortè adulatorem, eum ego meo jure mendacem esse blateronemq; arguam) defuerit inquam ob calamitosam temporum illorum conditionem aliquid in scissa diu Republica liberæ Serenissimi STANISLAI Electioni, at non minus certè defuit Electioni liberæ (pace immortali memoria dignissimi, Optimi, optatissimi de Republica deinceps optime meriti hujus Principis dicam) Serenissimi Augusti II. Id quod ego refricare nec volo nec debeo cum nobis omnibus Polonis notissimum sit non alio è fonte exortum fuisse fere viginti annorum bellum, præterquam ex Electionis vitio, hominum externorum metu armisq; tantummodo confirmatæ. Adeoq, quid volunt isti nobis iudices æqui sibi? An non longe aliter locuti fuissent, nisi hanc inter duos litem sola ipsa diremisset Fortuna, aut ut religiosius dicam DEUS ipse, qui ut vult Regibus & dat & aufert Regna? Quare ut quod inde manifestè consequitur uti mihi quidem videtur inferam, si non omnino melior Electio Seren. Augusti Electione Seren. STANISLAI priori jus dedit ad Regnum, cur eadem Seren: STANISLAO, sine fraude damnoq; Reipublicæ (cum omnino nunc liberrima Genti nostræ, Regis cujuscunque à DEO destinati Electio propediem sit futura) non conservet jus integrum ad dignitatem Titulosq; Regios? Quæ ornamenta illi nec à tot annis invidit Respublica, nec ea suam esse ullatenus interpretata est injuriam, nec Regios illius titulos perpetua sua omniumq; gentium consvetudine firmatos

un-

unquam revocabit in dubium, quos & nulla unquam abolebit vetustas, nulla antiquabit invidia.

De Sancitis Anni 1710. & 1717. quæ hic opponi possent ad secutura reijcio, ubi de re non de nomine cum scriptore malevolo disceptabo. Ad quem humanitate & bonis moribus imbuendum, quo reverentius discat tractare Principes, vel ista sufficiant Quodsi indecoram adeò rationem agendi adhuc emendare noluerit, ego quo Spartani in adolescentes Atheniensium male morigeratos animadverterunt decreto, condemmnabo illius impudentiam: Liceat illi inverecunde agere, liceat illi esse Scribam insulsum & ineptum.

Volebam per hunc ipsum tabellarium plura tibi Marcelle mi scribere, idque jam evidenter ostendere, quod Serenissimus STANISLAUS possit à nobis in Regio collocari Throno, salvis omnino integrisq; & Reip. imprimis quo ad liberrimam in præsens Electionem, & Vicinorum omnium rationibus, sed res mea familiaris me ad rus aliquot dierum itinere Civitate dissitum paulisper evocat. His ergo interim contentum te esse oportet. Precor autem Te quàm maxime, ut eos omnes qui apud Te hæc nostra fortasse lecturi sunt, etiam atq; etiam commoneas, falsissimum esse ut Vicini nostri aliquid sanctissimis LIBERTATIS nostræ juribus derogare intendant. Quis enim prudens non perspicit, nostram injuriam crudelissimo toti Europæ constituram bello? Sed à quibusdam hominibus duntaxat malevolis (hocque cumprimis meo Scriptuario qui eorum exhausit rumusculos) damnosos si credantur, inutiles dum spernuntur passim seminari metus. Adeoque his in literis solum naturâ suspicacem Libertatis amorem loqui de ijs rebus, quæ cum nullæ sint, tamen non sine incommodo Reipublicæ, leviter affirmantur, indecore scribuntur. At illud etiam tale est, quo nihil crudelius Polonæ Reipublicæ audire contigit illud inquam omnino servile EDICTUM:

NVNQVAM PERMISSVRI SVNT &c.

Qua de re sola hucusq; egi, & deinceps acturus sum.

Vale.